



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De triplici superbia. Cap. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

De triplici superbia.

CAP. IX.

EST autem triplex superbia. Prima, sibi-
 metipso nimis placere, & maiorem repu-
 rare se quam sit in veritate. & hoc est initium
 omnis peccati. Secunda est, appetere & stude-
 re aliis placere, & maior velle ab eis credi
 quam sit iustum. hæc est inanis gloria. Tertia
 est, ambire alios præire, & sub se velle eos esse.
 Sic decepta est superbia, & vult alios secum
 decipi, dum cupit se maiorem putari quam sit;
 sicut magus decipit garlionem, vt putet se in
 equo sedere, & sedet tanquam stultus super fa-
 sciculum paleæ. In hoc autem contrariatur
 Deo: quia cum omnia subiecta sunt ei, ipsa
 vult esse sui iuris, & spoliat eum debito honore
 suo, id est, vniuersali dominio quantum est in
 se: & ingrata est ei de beneficiis quæ accepit,
 de quibus propriam gloriam quærit non Dei,
 à quo habetur omne bonum. De ramis autem
 superbiæ, qui de ipsa pullulant, prætereo, quia
 alibi frequentius reperiuntur, si quis quærat,
 præcipue in summa vitiorum. Periculosior
 autem sæpe illa est, quæ extollitur de bonis gra-
 tiæ, quam de bonis naturæ vel fortunæ. Bona
 gratiæ sunt virtutes, scientia, & opera de gene-
 re bonorum, vt prædicare, ieiunare. Bona na-
 turæ sunt, quæ natura contulit: vt nobilitas,
 pulchritudo, fortitudo, ingenium: Bona fortu-
 næ sunt, dignitates, diuitiæ, honores, &c. quæ
 ex quadam fortuna plus quandoque dantur
 illis, qui natura & virtutibus inferiores sunt
 aliis, tamen non sine aliqua Dei prouidentia,
 licet sæpe cedit eis ad malum ex merito suo.
 Superbia etiam ita excæcat mentem, vt cum
 plus habetur, sæpe minus agnoscat. Hoc vi-

Bona gra-
 tiæ, natu-
 ræ, fortu-
 næ.

Superbia
præpedi
bona ma-
jora.

tium præcipuè impedit nos, ne maiora bona à Deo accipiamus (cùm ipse sit largissimus & desiderat multum communicare nobis de bonis suis, quia valde diligit nos) dum aut indignos nos reddit superbię reatus, gratia Dei: aut si plus daret nobis, extolleremur, aut ingrati efficeremur, aut non dignè in gratia operaremur, & sic grauioris peccati rei efficeremur. Vnde sæpe magis est clementię parentis Domini, negare ampliora gratiæ dona quàm irascentis. Deus superbis resistit, quasi suę potentiæ rebellibus, humilibus autem dat gratiam, à quibus per tumorem elationis non destitit gratia, quam eis infundit. Superbia etiam perdit in nobis merita bonorum operum, quę pro humano favore fecimus. Et sæpe superbia sumit pallium humilitatis & mulę suę, vt sub nomine eius gloriam callidè acquirat: vt quia captatio glorię non habet gloriam, sicut fugiendo eam assequatur, quę sicut umbra sequitur fugientem & fugit insequentem.

Isa. 46

Gloria
umbra.

*Quando bona nostra & mala ostendere
debemus vel occultare.*

CAP. X.

NO T A, quòd bona debemus quandoque hominibus ostendere, & aliquando occultare: similiter mala nostra aliquando aperire, aliquando celare. Bona nostra ad quę tenemur ex præcepto Dei vel Ecclesię, vel ad quę ex manifesto voto astringimur, debemus omnibus ostendere, vt fidem, charitatem, iustitiam, veritatem, castitatem, obedientiam, & contemptum mundanorum. Quę si homines in nobis non viderent, cùm sciant nos ad ea teneri, scandalizarentur & reputarent nos præ-

uari-